# MACHIAVELLUS.

## MUS JESUITICUS,

*seu*

## Tractatus,

in qvo

# ARCANA, ARTES;

ET TAM

CONSILIA QVAM MONITA

SECRETA

## SOCIETATIS JESU

comprehenduntur:

*Jam de novo ob ejus infrequentiam*

ad incomparabilem usum

## TOTIUS SOCIETATIS JESU

*editus,*

præsertim vero

## S. P. JOH. KRAUSIO;

ob nuperrime editum libellum

*sub tit.*

Historischer Beytrag für das zweyte

## Lutherische Jubel-Jahr,

*tanquam munusculum offertur atque inditur*

à

## Benedicto Gratioso.

*Amstelodami. M. DCC. XVII.*

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

*SUMME REVERENDO*

# P. JOHANNI KRAUSIO.

SOCIETATIS JESU

*PASTORI BENE MERITO,*

**S. D. P.**

# SANCTE PATER!

SI unqvam turpe qvid in hac mortalitate invenitur, ingratitudo certe haud insulse turpis vocari potest. Ast qvid dicam, turpis? turpissimum qvid est, imo primum locum inter vitia hominum meretur. Enim vero, si qvis nobis beneficia qvædam affert, & nos ingratiosi reperimur, qvodnam discrimen bruta inter & homines supererit? Nullum inqvam. Jam vero cum illud manifestum, ut nempe grates pro acceptis beneficiis persolvere nostrum: sic & a me reqviritur, ut TIBI, MI SANCTE



PA-

PATER, animum, qvantum in me, gratum, offeram. Ideoqve illud, qvantum fieri poteſt, brevibus exprimam,

Imprimis gratias *Tibi* permaximas ago, quod *Tu mi ſancte Pater* Eccleſiæ noſtræ Miniſtris materiam ſeu diſpoſitionem concionandi in inſtanti noſtro Jubilæo porrigere volueris. Perbene enim in *Tuo* libello, hacce occaſione in uſum noſtrum edito, ita anſam præbuiſti, ut themata qvædam incomparabilia ex illo eruere poſſimus. Ut pauci aliqvid de uno vel altero dicam: thema aliqvod haud invenuſtum habemus pag. 68. hunc in modum, ut agamus, DE SUPERSTITIONE ET IDOLOLATRIA PONTIFICIORUM. Qværo ex *Te Mi S. Pater*, nonne hæc ſunt veriſſima verba, ex pagina allata fluentia? Sed qvid de eo *S. Pater*?

ſi ex pag. 70. lin. ultima propono; *Artes Jeſuïticas in convertendis hominibus*, ſic & ex pag. 57. pro concione habeo FICTA CLERICORUM MIRACULA. Porro ex pag. 99. proponi poteſt PAPATUS CONTRA OMNEM CHRISTIANISMUM AGENS. (Chriſtus enim expreſſis verbis inqvit; diligite inimicos veſtros, Matth. V. 44.) Qvid? ſi plura afferam. Multa enim præterea in medium poſſem proferre, ni hæcce ſat ſatis eſſent teſtes qvarundam optimarum meditationum, quæ inſtanti Lutheranorum Jubilæo pro concione adhiberi poſſunt, ſed ſufficiant.

Qvid ergo gratiarum actionum *TIBI S. Pater* offeram? Qvæqve munera pro inopinata thematum illorum perqvam pulcherrimorum ſuppeditatione? Sane ſi multum temporis in excogitandis illis con-

ſumerem, nihil tamen utilius, nihil commodius atqve ſalutarius, nihilqve TIBI AC SOCIETATI JESU conducibilius invenirem, qvam qvod in procurando alterius hujus editionis reperivi. Cum enim hicce aureus libellus tam infreqvens, & qvaſi abſconditus fuerit, ut certiſſimus ſim, totam SOCIETATEM JESU die noctеqve nihil magis exoptare, qvam ut hæc arcana in lucem iterum proferantur; itaqvè in eo totus fui, ut hocce aureum & incomparabile opus in uſum inexplicabilem & pene divinum totius SOCIETATIS JESU tenebris extraherem, qvod vero hactenus fieri non potuit. Hac vero exoptata occaſione, grati animi teſſeram in remunerationem TUI muneris (ſc. nupperrime editi libelli) in eo qvæſivi, ut hæc arcana SOCIE-

TA-

TATIS JESU omnibus eorum indigentibus per novam publicationem communicarem. Et ita de meliori nota SOCIETATI JESU se commendare voluit

*Sancte ac summe Venerande*
*Pater*

Tui Nominis

*Devotissimus*

Benedictus Gratiosus.

# Secretorum Monitorum Societatis JEsu PRÆFATIO.

*PRivata hæc monita custodiant diligenter, & penes se servent superiores, paucisque ex professis ea tantum communicent, & aliqva de iis instruant non professos, qvando nimirum & qvanto cum fructu societati usui sit; illaque non nisi sub sigillo silentii, ne qvidem ut scripta ab alteros, sed ex peculiari experientiæ desumpta: & qvia multi ex professis horum secretorum sunt conscii, ideo vel ab initio cavit societas, ne ullus conscius horum posset ad alias religiones se conferre, excepta Carthusianorum, ob perpetuam vitæ abstractionem, & indelebile silentium; qvod etiam Sacra Sedes confirmavit.*

*Cavendum omnino ne in manus externorum hæc Monita deveniant, qvia sinistre ea interpretarentur, destinationi nostræ*

*invidentes: quod si hoc accidat (quod absit)* negentur hæc esse sensa Societatis, *idque per illos confirmando e nostris, de quibus certo constat, quod ea ignorent; opponanturque his monita nostra generalia, & ordinationes seu regulæ impressæ vel scriptæ.*

*Superiores etiam sollicite semper & caute inquirant, an alicui externo a nostris hæc monita prodita sint; nullus etiam hæc pro se, aut pro alio transcribet, aut transcribi permittet, nisi conscio Generali vel Provinciali; & si de asservandis tantis secretis Societatis de aliquo dubitetur, in contrarium illi imputetur & dimittatur.*

CA-

# CAPUT. I.

## *Qualem ſocietas præſtare ſeſe debeat, cum incipit de novo alicujus loci fundationem.*

I.

UT ſe gratam reddat incolis loci, multum conducet explicatio finis Societatis præſcripti in regulis, ubi dicitur Societatem ſummo conatu in ſalutem proximi incumbere, æqve atqve in ſuam: qvare humilia obſeqvia obeunda in Xenodochiis, pauperes & afflicti, & incarcerati inviſendi, confeſſiones prompte & generatim excipiendæ, *ut inſolita in omnes charitate, & rei novitate eminentiores incolæ noſtros admirentur & ament.*

II. Meminerint omnes facultatem ad exercenda Societatis mini-

ſteria modeſte ac religioſe petendam, & omnes tum eccleſiaſticos præſertim, tum ſeculares, qvorum auctoritate indigemus, benevolos ſibi facere ſtudeant.

III. Ad loca diſtantia etiam eundum, ubi eleemoſynæ, qvantumvis parvæ recipiendæ, expoſita neceſſitate noſtrorum; eædem deindedandæ aliis pauperibus, ut ſic ædificentur ii, qvi nondum Societatem noverunt, *& ſint in nos tanto liberaliores.*

IV. Omnes eundem videantur ſpirare ſpiritum, ideoqve eundem modum exteriorem addiſcant, ut uniformitas in tanta diverſitate perſonarum unumqvemqve ædificet; qvi ſecus fecerint, tanqvam nocui dimittantur.

V. Caveant noſtri emere fundos in initio; ſed ſi qvos emerint bene ſitos, fiat hoc mutuato nomine aliqvorum amicorum fidelium &



ſe-

secretorum; &, ut melius luceat *paupertas nostra*, bona, qvæ sunt vicina locis, in qvibus collegia habemus, per Provincialem assignentur collegiis remotis, qvo fiet, ut nunqvam Principes vel Magistratus habeant certam notitiam redituum Societatis.

VI. Non divertant nostri cum intentione residendi per modum collegii, *nisi ad urbes opulentas*. Finis enim Societatis est imitari Christum Salvatorem nostrum, qvi Jerosolymis maxime morabatur, alia autem loca minus præcipua tantum pertransibat.

VII. Summum pretium avidius semper extorqvendum, in ulcera illis *summa nostra necessitare*.

VIII. In unaqvaqve provincia, nemo nisi Provincialis noverit præcise valorem redituum. *Sacrum autem esto qvantum corbona Romana concineat.*

IX. Concionentur noſtri, & ubiqve in colloqviis propalent, ſe ad puerorum inſtructionem, & populi ſubſidium veniſſe, ac omnia gratis, & ſine perſonarum exceptione præſtare, nec eſſe in gravamen communitatis, ut cæteri Ordines religioſi.

# CAPUT. II.

## *Qvomodo Principum, Magnatum & Primariorum P. P. Societatis familiaritatem acqvirent, & conſervabunt.*

### I.

COnatus omnis ad hoc inprimis adhibendus, ut Principum & primariorum ubiqve locorum aures & animos obtineamus, *ne ſit qvi in nos audeat inſurgere, qvin imo omnes cogantur a nobis dependere.*

II. Cum autem experientia doceat Principes & Magnates, tum præſertim affici perſonis eccleſiaſticis

cis, qvando odiosa eorum facta dissimulant, sed in meliorem potius partem ea interpretantur, ut videre est in matrimoniis contrahendis cum affinibus, aut consangvineis, aut similibus, animandi sunt qvi hæc aut similia affectant, spe facta per nostros istiusmodi dispensationes facile a summo Pontifice impetrandi, qvod faciet si explicentur rationes, proferantur exempla, & recitentnr sententiæ favorabiles titulo communis boni, & majoris gloriæ DEI, qvæ est *scopus Societatis*.

III. Idem faciendum si Princeps aggreditur aliqvid faciendum non æqve Magnatibus omnibus gratum; permovendus nempe animus ei, & instigandus, cæterorum vero animi commovendi ad hoc ut Principi sese accommodent, neqve contradicant; in genere tamen tantum, nec umqvam ad particularia descendendo, ne Societati imputetur, si ma-

le negotium succesſerit; & ſiqvidem hoc aliqvando factum reprobetur, recitentur monita contraria hæc plane prohibentia, & adhibeatur auctoritas aliqvorum Patrum, de qvibus conſtat, qvod hæc ipſa monita illos lateant, qvi etiam cum juramento aſſerere poterunt, Societatem, qvoad hæc, qvæ illi improperantur, calumniam pati.

IV. Juvabit etiam non parum ad occupandos Principum animos, ſi noſtri dextre & per tertias perſonas inſinuent ſe ad legationes honorificas & favorabiles, & alios Principes aut Reges pro illis obeundas, præſertim apud Pontificem & ſupremos Monarchas; hac enim occaſione ſeſe & Societatem commendare poterunt, qvare non niſi Zeloſi valde & verſati in inſtituto noſtro eo erunt deſtinándi.

V. Alumni Principum & domeſtici præcipue, qvibus familiariter, ut-

utuntur, *per manuſcula* præcipue & varia *pietatis officia* vincendi ſunt, ut tandem noſtros fideliter de humoribus & inclinationibus Principum & Magnatum inſtruant, & ſic facile illis Societas ſeſe accommodabit.

VI. Experientia etiam docuit in domo Auſtraca, aliisque regnis Galliæ, Poloniæ, &c. ceterisque Ducatibus, qvantum Societas ſeſe juverit tractandis matrimoniis inter principes. Qvare prudenter proponantur exqviſiti conjuges, qvi cum parentibus vel amicis noſtrorum ſunt amici vel familiares.

VII. Fœminæ principes per domeſticas potisſimum, qvæ à cubiculis ſunt, facillime vincentur; qvare illæ omnibus modis foveantur, ſic enim ad omnia, etiam ſecretiſſima, in familia aditus patebit.

VIII. In conſcientiis Magnatum regendis ſeqventur noſtri Confeſſarii ſententiam illorum auctorum

rum auctorum qvi liberiorem conſcientiam faciunt contra opinionem aliorum Religioſorum, ut, relictis illis, a noſtra directione & conſiliis toti velint dependere.

IX. Tam principes, qvam Prælati, aliiqve omnes qvi Societati favorem extraordinariam præſtare poſſunt, participes faciendi ſunt omnium meritorum Societatis expoſito illis momento hujꝰ ſummi privilegii.

X. Inſinuandæ etiam caute & prudenter facultates ampliſſimæ Societatis abſolvendi etiam a caſibus reſervatis, reſpectu aliorum Paſtorum & Religioſorum, item diſpenſandi in jejuniis, debito reddendo, aut petendo, matrimonii impedimentis, aliisqve notis, in qvo fiet, ut plurimi ad nos recurrant & obſtringantur.

XI. Invitandi ad conciones, Sodalitates, orationes, actiones, declamationes, &c. in qvibus carminibus,

bus, in ſcriptis theſibus honorandi, tum ſi expedit in triclinio menſa excipiendi, variisqve & dictis ſalutandi.

XII. Inimicitiæ & diſſenſiones inter Magnates ad nos diſtrahendæ erunt, ut componantur, ſic enim in notitiam familiarium & ſecretorum paulatim poterimus devenire, & alterutram partem nobis devincire.

XIII. Qvod ſi Monarchæ vel Principi ſerviat aliqvis Societati parum addictus, invigilandum, ut ſive per noſtros, ſive potius per alios ille in amicitiam ac familiaritem Societatis inducatur, promiſſis, favoribus ac promotionibus, per Principem, aut Monarcham ſuum procurandis.

XIV. Caveant omnes qvacumqve ratione dimiſſos a Societate, & præſertim illos, qvi ſua ſponte ab ea diſcedere voluerunt, apud qvemqvam commendare, aut promove-

re, qvia,qvantumcumqve illi dissimulent, semper tamen irreconciliabile odium adversus Societatem gerunt.

XV. Deniqve ita omnes solliciti sint, principes, Magnates & Magistratus cujusqve loci conciliare, ut etiam contra consangvineos, & affines, & amicos suos, pro illis, qvando occasio sese obtulerit, strenue fideliterqve agant.

## CAPUT. III.

*Qvomodo agendum Societati cum illis, qvi magnæ auctoritatis in Rep. & qvamvis divites non sint, aliis tamen modis juvare possunt.*

I.

Præter supra dicta,qvæ fere omnia proportionaliter illis applicari possunt, curanda est gratia illorum adversus adversarios nostros.

II. Utendum etiam auctoritate, prudentia, & consilio eorum,

ad

ad contemptionem bonorum, & acqvisitionem variorum munerum, a Societate obeundorum; adhibitio etjam tacite & plane secreto illorum nomine, in augmentatione bonorum temporalium, si satis illis putetur, confidendum.

III. Adhibendi etiam, ut mitigent & compescant homines viliores, & plebem Societati nostræ contrariam.

IV. Ab Episcopis, prælatis & aliis superioribus Ecclesiasticis, pro diversitate rationum & propensione in nos, ea exigenda, qvæ fuerint opportuna.

V. In qvibusdam partibus satis erit, si procuretur, ut Prælati & Parochi efficiant, qvod subditi illorum Societatem revereantur, & ipsi ministeria nostra non impediant, in aliis locis ubi plus possunt, ut in Germania, Polonia, &c. sacro sancte colendi, ut auctoritate illorum & principum, monasteria, parochiæ,

præpoſituræ, patronatus, altarium fundationes, loca pia fundata ad nos divelli poſſint; facillime enim ea aſſeqvi poterimus in locis, ubi Catholici Hæreticis & Schiſmaticis permiſti ſunt. Demonſtrandum ejusmodi Prælatis, immenſum fructum & meritum ex talibus mutationibus oriundum, a Sacerdotibus, Secularibus, & Monachis non exſpectandum; qvod ſi fecerint, laudandus palam illorum zelus, etiam ſcripto, inculcandaqve memoria facti perpetua.

VI. Conandum eo fine ut Prælati tales noſtris tum a confeſſionibus, tum a conſiliis utantur, & ſi qvidem in ſpe ſint, aut prætenſione ad altiores gradus in Curia Romana, juvandi omni contentione, ac conatu amicorum, ubicumque ad hoc conferre valentium.

VII. Curent etiam noſtri apud Epiſcopos & Principes, ut dum fundant

dant

dant collegia, ac Ecclesias parochiales, Societas habeat potestatem statuendi vicarium habentem curam animarum, ipse vero superior loci pro tempore existens sit Parochus, & sic totum regimen Ecclesiæ illius erit nostrum, & parochiani omnes Societati plene erunt subjecti, ut qvidvis ab illis impetretur.

VIII. Ubi Academici sunt nobis repugnantes, vel Catholici, aut Hæretici cives fundationes impedientes, ibi per Prælatos conandum, ut primariæ cathedræ concionatoriæ occupentur; sic enim continget Societatem aliqvando saltem necessitates, ac rationes per occasionem saltem exposituram.

IX. Maxime vero Prælati Ecclesiæ devinciendi erunt, qvando agetur de beatificatione aut canonizatione nostrorum, & tunc omnibus modis a Magnatibus & Principibus litteræ procurandæ erunt, in

qvi-

qvibus apud sedem Apostolicam negativum promoveatur.

X. Si contingat Prælatos aut Magnates legationem obire, cavendum sedulo ac præveniendum, ne aliis Religiosis, qvi nobiscum certant, utantur, ne affectum in illos transferant, & in provincias ac civitates, in qvibus nos moramur, inducant. Qvod si hujusmodi legati transiverint illas provincias vel civitates, ubi Societas collegia habet, excipiantur magno honore & pro modestia religiosa tractentur.

# CAPUT. IV.

## *Qvæ commendata esse debeant Concionatoribus & Confessariis Magnatum.*

### I.

NOstri Principes, virosqve illustres ita dirigant, ut solum ad majorem DEI gloriam tendere videantur, & ad talem austeritatem conscientiæ, qvam ipsimet prin-

principes concedunt; neqve enim ſtatim, ſed ſenſim ſpectare debet directio illorum externam & politicam gubernarionem.

II. Ideo ſæpe illis inculcandum diſtributionem honorum & dignitatum in Rep. ſpectare ad juſtitiam, graviterqve DEum offendi a Principibus, ſi contra eam ſpectent, & ex paſſione procedant. Proteſtentur, ſæpe ac ſerio ſe nullo modo velle in Reip. adminiſtrationem ingerere, ſed invitos dicere, ratione officii ſui; tum ubi ſemel bene hæc apprehenderint, explicetur qvibus virtutibus præditi eſſe debeant, qvi ad dignitates & munia publica ac primaria aſſumendi ſunt, nominenturqve tandem, & commendentur ab illis, qvi ſunt ſinceri amici Societatis; hoc tamen non fiet immediate per noſtros, niſi Princeps ad hoc coegerit, ſed plus gratiæ habebit, ſi interponantur amici vel familiares principis.

III.

III. Qvo circa Confessarii & Concionatores nostri informentur ab amicis nostris, qvi pro qvovis munere sunt apti, præsertim tales qvi erga Societatem liberales sunt, horum nomina apud se habeant, & suo tempore cum dexteritate, sive per se, sive per alios, principibus insinuent.

IV. Meminerint summopere, Confessarii & Concionatores Principes svaviter & blande tractare, nullo modo in concionibus & privatis colloqviis perstringere, omnes pavores ab illis removere, & in spe, fide, justitia politica potissimum adhortari.

V. Munuscula parva vix unqvam pro privato usu acceptent, sed commendent necessitatem communem provinciæ aut Collegii, domi cubiculo simpliciter instructo gaudeant, neqve curiose nimis se vestiant, & ad abjectiores personas, qvæ

in

in palatio ſunt, juvandas ac conſolandas prompte ſe conferant, ne ſolis Magnatibus præſto eſſe videantur.

VI. Qvam primum poſt mortem Officialium curent, ut de ſubſtituendis amicis Societatis mature agant, & ſuſpicione ſe eximant extorti regiminis; qvare etiam, uti ſupra dictum eſt, immediate ſe non impendent, ſed amicos fideles, ac potentes, qvi ſuſtinere invidiam poſſunt, ſi qvæ oriatur.

# CAPUT. V.

## *Qvomodo agendum cum Religioſis, qvi iisdem in Eccleſia, qvibus nos, funCtionibus vacant.*

I.

Genus iſtud hominum ferendum animoſe, interim principibus & illis, qvi aliqva auctoritate valent, & aliqvo modo nobis addicti ſunt, explicandum & indicandum opportune noſtram Societatem omnium

or-

ordinum continere perfectionem, præter cantum & exteriorem in victu & vestitu asperitatem, & si qvæ Religiones in aliqvo excellant, Societatem eminentiori modo lucere in Ecclesia DEI.

II. Inqvirantur & notentur defectus aliorum Religiosorum, qvibus prudenter & plerumqve *per modum deplorationis* apud fideles amicos paulatim detectis ac propalatis ostendatur, minus feliciter illos satisfacere istis functionibus, qvibus nobiscum concurrunt.

III. Majori conatu eundum est contra eos, qvi Scholas pro juventute docenda instituere volunt istis locis, in qvibus cum honore & utilitate nostri docent. Ostendant Principibus & Magistratibus tales fore perturbationi & seditioni Reip. nisi impediantur, qvæ ab ipsismet pueris, qvi diversimode instruentur,

tur, incipient, deniqve Societatem sufficere juventuti erudiendæ.

IV. Qvod si Religiosi litteras Pontificias obtinuerint, aut Cardinalium commendationem pro se habeant, agant nostri contra per Principes ac Magnates, qvi Pontificem informent de bene meritis Societatis, & sufficientia, ut per illam pacificè juventus instruatur; procurent etiam & exhibeant testimonia a Magistratibus danda de bona illorum conversatione & institutione.

V. Interim pro viribus nostri studeant edere specimen singulare virtutis & doctrinæ exercendo studiosos in studiis, aliisqve plausibilibus ludis scholasticis, Magnatibus ac Magistratibus & populo spectantibus.

CA-

# CAPUT. VI.

## *De conciliandis Societati viduis opulentis.*

### I.

DEligantur ad hoc opus Patres provectæ ætatis, complexionis vivacis & conversationis gratæ, ab illis visitentur viduæ illæ, & simul atqve affectum aliqvem erga Societatem ostendunt, vicissim opera & merita Societatis illis afferantur, qvod si acceptent, & Ecclesias nostras visitare cœperint, prospiciatur eis de Confessario, a qvo bene dirigantur, præsertim in ordine ad constantiam in statu viduali; enumerando & laudando illius fructus & felicitatem, certaqve spondeant, & tanqvam obsides promittant æternum meritum hac ratione conqvirendum, & efficacissimum esse medium ad purgatorias pœnas evitandas.

II. Procuret idem Confessarius,

ut

ut ſacello vel oratorio alicui domi adornando occupentur, in qvo meditationibus aliisqve exercitiis ſpiritualibus vacare posſint, ut ſic facilius a converſatione, & procorum viſitationibus avocentur, & qvamvis ſacellanum habeant, noſtri tamen a celebratione Miſſæ, & præcipue ab exhortationibus opportune faciendis non abſtineant, & ſacellanum ſub ſe continere ſtudeant.

III. Caute & ſenſim mutanda, quæ ad gubernationem domus ſpectant, ſic habita ratione perſonæ, loci, affectus, & devotionis.

IV. Amoliendi potisſimum tales domeſtici ( ſed paulatim ) qvi plane cum Socitate non communicant, aut correſpondent, taleſqve commendandi, ( ſi qvi ſubſtituendi ſint ) qvi a noſtris dependeant, aut dependere velint, ſic enim omnium, qvi in familia aguntur, participes eſſe poterimus.

V.

V. Totus conatus Confessarii hoc spectet, ut vidua ejus consilio in omnibus utatur & acqviescat, qvod ostendetur per occasionem, esse unicum fundamentum profectus spiritualis.

VI. Consulatur & celebretur freqvens usus Sacramentorum, præsertim pœnitentiæ, in qvo intima animi sensa & tentationes qvascunqve liberrime aperiat, deinde freqvens communio, auditus sacri ipsiusmet Confessarii, ad qvod invitabitur cum promissis peculiaribus precibus, recitatio litaniarum & qvotidianum examen conscientiæ.

VII. Juvabit etiam non parum ad plenissimam cognitionem omnium inclinationem ejus, confessio generalis, etiamsi alias alteri facta fuerit, iterata.

VIII. Exhortationes fient de bonis viduitatis, de molestiis matrimonii præsertim iterati, de perи-

lis, qvæ simul incurruntur, &c. qvæ maxime ad hominem sunt.

IX. Proponendi subinde & dextre proci aliqvi, sed tales, a qvibus scitur bene viduam abhorrere. Describantur aliorum vitia, & mali mores, si qvi putentur illi arridere, ut sic universim secundas nuptias nauseet.

Qvando ergo circa viduitatis statum bene affectam esse constat, tunc commendanda vita spiritualis, non religiosa, cujus incommoda potius proponenda, & exaggeranda; sed qvalis fuit Paulæ & Eustochii, &c. prospiciatqve Confessarius, ut qvantocyus voto castitatis saltem ad biennium vel triennium emisso, omnem aditum ad secundas nuptias excludat, qvo tempore omnis conversatio cum sexu impari, & recreationes etiam cum consanguineis & affinibus prohibendæ, titulo majoris conjunctionis cum Deo.

Ecclesiastici autem a qvibus vidua visitabitur, aut qvos visitabit, si omnes excludi nequeant, tamen tales sint qvi ex nostrorum commendatione admittantur, vel a nostrorum nutu dependeant.

XI. Huc usqve ubi progressum fuerit, paulatim ad bona opera præsertim eleemosynas inducenda erit vidua, qvæ tamen nulla ratione præstabit sine sui patris spiritualis directione; cum plurimum intersit, ut cum discretione talentum in lucrum spirituale detur, eleemosynæ male collocatæ sint sæpe causa vel fomentum peccatorum, & sic simplicem tantum fructum & meritum causent.

## CAPUT VII.

*Qvomodo conservanda vidua, & disponendum de bonis, qva habent.*

I.

I.

URgeantur continuo, ut pergant in devotione & operibus bonis, sic, ut nulla hebdomada transeat, qvin sua sponte aliqvid in honorem Christi, B. Virginis, aut Patroni sui præscindant a se de superfluis; qvod ipsum in pauperes erogent, vel ornatui templorum destinent, donec spoliis plerisqve & primitiis Ægypti sint exutæ.

II. Qvod si præter communem affectum suam erga Societatem nostram liberalitatem testentur, idqve facere continuent, fiant omnium meritorum Societatis participes, cum indulto speciali Provincialis, aut etiam, si tantæ personæ fuerint, Generalis.

III. Si emiserint votum castitatis, renovent illud more nostro bis in anno, concessa illis pro illa die recreatione honesta cum nostris.

IV. Visitentur crebro, & jucun-

dis colloqviis, & hiſtoriis ſpiritualibus, ac facetiis recreentur & foveantur, juxta unius cujusque humorem & inclinationem.

V. Non tractentur nimis rigide in confeſſione, ne moroſæ nimis fiant, niſi forte amiſſa ſpe gratiam illarum aliunde occupatam recuperandi; in qvo magna diſcretione de inconſtanti mulierum genio judicandum.

VI. Arceantur ingenioſe a viſitationibus & feſtivitatibus aliorum templorum, maxime Religioſorum, & inculcetur illis, omnes aliorum Ordinum indulgentias in Societatem eſſe refuſas.

VII. Si lugendum ipſis ſit, permittatur ornatus lugubris cum honeſta majeſtate aliqvid ſpirituale ſimul & mundanum ſpirans, ut non apprehendant, ſe a viro ſpirituali plane gubernari; denique modo non ſit periculum inconſtantiæ, &

er-

erga Societatem fideles & liberales inveniantur, concedatur illis qvid-qvid ad sensualitatem reqvirunt, moderate & exclusō scandalo.

VIII. Collocentur apud viduas aliæ puellæ honestæ, & parentibus divitibus ac nobilibus natæ, qvæ nostrorum directioni, & modo vivendi paulatim assuescant; his præsit aliqua a Confessario totius familiæ ad hoc electa & constituta, subjiciantur syndicationibus aliisqve consvetudinibus Societatis, & qvæ sese accommodare nolunt, dimittantur ad parentes vel alios, a qvibus adductæ erant, describantur tanqvam dyscolæ, difficilis genii &c.

IX. Nec minor cura sanitatis & recreationis illarum, qvam salutis habenda erit: qvare si de valetudine conqverantur, statim jeju-

nia, cilicia, disciplinæ, aliæqve pœnitentiæ corporales, prohibebuntur: neqve permittantur ad templum etiam exire, sed domi secreto & caute administrentur. Dissimuletur cum illis ingressus in hortum vel collegium, modo secreto id fiat, permittantur colloqvia & recreationes secretæ cum iis, qvi maxime arriserint.

X. Pro dispositione redituum, qvos habet vidua in favorem Societatis facienda, proponatur perfectio status hominum sanctorum, qvi relicto mundo, parentibus, & bonis abdicatis, cum magna resignatione, & animi hilaritate Deo servierunt. Exponantur in ordine ad hoc qvæ habentur in constitutione & examine Societatis de istiusmodi renunciatione & abnegatione omnium rerum. Allegentur exempla viduarum, qvæ sic brevi in sanctas evaserunt, cum spe canonizationis, si sic in finem usqve perseveraverint; ostenden-

ſtendaturqve ipſis non defuturam ad hoc noſtrorum apud Pontificem auctoritatem.

XI. Imprimendum ipſis hoc firmiter, ſi conſcientiæ perfecta, qviete frui velint, omnino ſine murmuratione, tædio aut ulla renitentia interiori, ſeqvendam eſſe tam in temporalibus qvam in ſpiritualibus Confeſſarii directionem, tamqvam a DEo peculiariter deſtinati.

XII. Inſtruendæ etiam per occaſionem, gratius eſſe, ſi perſonis Eccleſiaſticis, maxime Religioſis ſpectatæ & exemplaris vitæ eleemoſynas ſuas dent, non niſi conſcio tum & approbante Confeſſario.

XIII. Cavebunt diligentiſſime Confeſſarii, ne qvocumqve prætextu hujusmodi viduæ illorum pœnitentes alios Religioſos inviſant, aut familiaritatem cum illis ineant; qvod ut impediant, conabuntur ſuo tempore deprædicare Societatem, tan-

qvam ordinem ſuperlativum præ cæteris, & utiliſſimum in Eccleſia, majoris auctoritatis apud Pontificem & Principes omnes, perfectiſſimum in ſe, qvia dimittit noxios & indoneos, adeoqve ſine ſpuma & fecibus vivit, qvibus ſcatent Monachi, plerumqve indocti, bardi, ſegnes, ſalutis ſuæ incurii, ventricolæ &c.

XIV. Proponant Confeſſarii & ſvadeant illis ordinarias penſiones, tributo, qvibus ſubleventur annuatim Collegiorum & domorum profeſſarum debita, præcipue domus profeſſæ Romanæ, nec inmemores ſint ornamentorum templi, ceræ, vini, &c. ad celebrationem Miſſæ Sacrificii neceſſariorum.

XV. Qvod ſi in vita ſua vidua ex pleno bona ſua Societati non inſcripſerit, proponatur illi per occaſionem, & præſertim ingruente gravi morbo aut periculo vitæ, egeſtas, novitas & multitudo plurimorum

Col-

Collegiorum nondum fundatorum, inducanturqve svaviter & fortiter, ad sumptus faciendos, qvibus æternam gloriam sunt fundaturæ.

XVI. Idem faciendum cum Principibus, & benefactoribus aliis, persvadendum, inqvam, ea qvæ perpetua sunt in hoc mundo, & in altero æternam illis gloriam a DEo paritura; qvod si hinc inde aliqvi malevoli allegent exemplum Christi, qvi non habebat ubi caput reclinaret, velintq; Socios Jesu similiter esse pauperrimos, ostendatur & serio imprimatur passim omnibus, Ecclesiam Dei nunc mutatam & Monarchiam factam, qvæ auctoritate & potentia magna tueri se debet, contra potentissimos inimicos, esse lapidem illum parvum excisum, qvi crevit in montem maximum prædictum per Prophetam.

XVII. Istis, qvæ addictæ sunt eleemosynis & ornatui templorum, ostendatur crebro, summam perfe-

ctionem in eo consistere, qvod terrenarum rerum amore sese exuentes, ipsum Christum ejusque Socios, earum possessores faciant.

XVIII. Sed qvia minus semper sperandum viduis a qvæ liberos suos ad sæculum dirigunt, videbimus.

# CAPUT. VIII.

## *Qvomodo faciendum, ut filii & filiæ viduarum religiosam aut devotarium statum amplectantur.*

### I.

SIcut matribus fortiter, sic nostris svaviter in hac materia est agendum; matres nimirum, instruendæ ut proli suæ reprehensionibus, castigationibus, &c. molestæ sint a teneris, dum provectiores præsertim filiæ fuerint, muliebrem ornatum & clenodias illis negent; optando sæpe & DEum rogando, ut ad statum

Ec-

Ecclesiasticum adspirent, & pollicendo insignem dotem si Moniales esse voluerint; exponant sæpe difficultates, qvæ in matrimonio sunt omnibus communes, & si qvas ipsæmet in particulari expertæ sint, dolendo, qvod cœlibatum suo tempore matrimonio non prætulerint; denique sic agant continuo, ut, filiæ præsertim, tædio vitæ apud matrem tali modo transigendæ, de statu religioso cogitent.

II. Cum filiis conversentur nostri familiariter, siqvidem ad Societatem nostram apti visi fuerint, introducantur oportune in Collegium, & ostendantur explicenturque illis ea, qvæ qvoqvo modo grata futura, & ad Societatem amplectendam invitatura creduntur, ut sunt horti, vineæ, domus rurales, & prædia, ubi nostri sese recreant; narretur illis itineratio ad diversa regna, communicatio cum Principibus mundi,

& qvæcumqve juvenilem ætatem oblectant, in refectorio & cubiculis exterior mundities, blanda conversatio inter noſtros, regulæ noſtræ facilitas, cui tamen compromiſſa eſt regula DEI, ordinis deniqve noſtri ſuper alios præeminentia, & colloqvia ſimul faceta cum piis commiſceantur.

III. Moneantur qvaſi ex revelatione interdum ad religionem in genere, deinde tanta inſinuetur perfectio & commoditas noſtræ præceteris, exponanturqve tum in publicis exhortationibus, tum in privatis colloqviis, qvam ſit grave, contra vocationem divinam calcitrare, tandemqve inducantur ad facienda exercitia ſpiritualia, ut de ſtatu vitæ deligendo concludant.

IV. Procurent noſtri ut hujusmodi adoleſcentes inſtructores habeant Societati addictos, qvi continuo invigilent & hortentur. Si autem

tem reluctentur, ſubtrahantur hinc inde aliqva, ut tædio vitæ afficiantur. Exponat mater difficultates familiæ. Tandem, ſi non ita commode fieri poſſit, ut ſua ſponte animum ad Societatem adjiciant, mittantur titulo ſtudiorum ad remota Societatis gymnaſia, & ex parte matris pauca mittantur ſolatia, ex parte vero Societatis adhibeantur lenocinia, ut affectum in noſtros transferant.

# CAPUT IX.

## *De reditibus Collegiorum augendis.*

I.

NEmo qvantum fieri poterit ad ultimam profeſſionem admittatur, qvamdiu ſucceſſiones aliqvas exſpectet, niſi fratrem ſe juniorem habeat in Societate, vel ob alias graves cauſas; in omnibus tamen, & ante omnia conſulendum eſt amplificationi Societatis, ſecundum fines Superioribus notos; qvi in

hoc saltem conspirent, ut Ecclesia ad majorem gloriam DEI pristino nitori restituatur, & totus Cleri non nisi unus sit spiritus; qvo circa freqventer monendum est, & passim promulgandum, Societatem partim constare ex professis adeo mendicis, ut præter largitiones qvotidianas fidelium, careant omnibus omnino, partim etiam aliis Patribus pauperibus qvidem, sed qvi possident bona stabilia, ne sint in gravamen populi pro studiis ac functionibus suis, ut sunt cæteri mendicantes; ideoqve serio inculcent Confessarii Principum, Magnatum, viduarum, & aliorum (a qvibus Societas multum sperare potest) ea, qvæ hanc materiam concernunt, ut dum spiritualia illis conferunt & divina, ad minimum terrena & temporalia ab illis recipiant, neqve vix unqvam omittant occasiones recipiendi, cum offertur, si autem promis-

missum fuerit & differatur, prudenter in memoriam revocetur, qvantum tamen fieri potest omnem affectum erga divitias dissimulando. Qvod si quis ex Confessariis sive Magnatum sive aliorum, ad hæc in praxin redigenda minus industrius videatur, tempori & caute amoveatur, alio in locum ejus suffecto, & si necessarium sit ad majorem pœnitentium satisfactionem, ad remotiora collegia relegetur, dicendo Societatem plurimum illius persona ac talentis ibidem indigere. Nuper enim audivimus juvenes viduas immatura morte præventas, negligentia nostrorum suppellectilem valde pretiosam, templis Societatis dicatam non legasse, eo qvod tempestive acceptata non esset; neqve est ad similia acceptanda tempus, sed bona pœnitentium voluntas spectanda est.

II. Prælati, Canonici, Pasto-

res,

res, aliqve opulenti Eccleſiaſtici induſtriis variis ad exercitia ſpiritualia ſunt alliciendi, & paulatim ſic mediante affectu erga res ſpirituales Societati conciliandi, deinde eorum liberalitas paulatim prognoſticanda.

III. Non negligant Confeſſarii interrogare pœnitentes ſuos, (opportune tamen) de nomine, familia, affinibus, parentibus, amicis, bonis, dein ſpectare ſucceſſiones illorum, ſtatum, intentionem ac reſolutionem, qvam ſi nondum ſumpſerint Societati favorabilem, oportebit perſvadere; qvod ſi ſpes alicujus utilitatis prima fronte affulgeat, qvia non expedit de omnibus ſimul interrogare, jubeantur ſive titulo majoris elucidationis conſcientiæ, ſive pœnitentiæ medicinalis, hebdomadatim confiteri, & honeſte ab eodem Confeſſa-

rio

rio invitentur, ut qvod una vice inqvirere non potuit, pluribus inqvirat; qvod si succesſerit ex voto, si fœmina fuerit, ad perſiſendum in frequenti confeſſione & viſitatione, ſi vir ad ſodalitatem freqventandam, & familiaritatem noſtrorum qvoqvo modo inducatur.

IV. Qvæ de viduis dicta ſunt, eadem agenda circa mercatores, cives opulentos, & conjugatos prole carentes intelliguntur; a qvibus non raro Societas ex aſſe hæreditatem acqviret, ſi prudenter hæ praxes exſecutioni mandentur, potiſſimum autem hæc obſervanda erunt circa opulentas devotarias noſtros freqventantes, qvæ ſi non ſint parentibus valde nobilibus natæ, tantum ad ſummum poterit, vulgus obmurmurare.

V. Rectores Collegiorum conabuntur habere notitiam domorum

rum, hortorum, prædiorum, vinearum, pagorum, ceterorumqve bonorum, qvæ a primariis nobilibus, mercatoribus aut civibus possidentur, & si fieri potest gravaminum ac redituum, qvibus onerantur; sed caute id præstandum & efficacissime per confessionem, sodalitatem, ac privata colloqvia; qvod si Confessarius pœnitentem divitem adeptus sit, continuo rectorem moneat, & omni modo fovere conetur.

VI. Porro summa rei in eo constituenda est, qvod nostri omnes apposite benevolentiam pœnitentium, & aliorum, qvibuscum conversantur captare norint, & singulorum inclinationi se accommodare. Qvapropter ad loca qvæ a divitibus & nobilibus inhabitantur, Provinciales provideant, ut multi mittantur, & ut Provinciales id prudentius ac felicius faciunt, Rectores

ctores de meſſe illos accurate inſtruere ſuo tempore meminerint.

VII. Inqvirant etiam an contractus & poſſeſſiones per receptiones filiorum in Societatem, ad illam tranſire poſſint, & ſi fieri poteſt, explorent an bona aliqva ſic per pactum aliqvod conducta, vel aliter Collegio cedere poſſint, ut poſt tempus Societati cedant; ad qvem finem Societatis neceſſitas, & gravamen debitorum, omnibus, præſertim Magnatibus & divitibus intimanda erunt.

VIII. Si contigerit viduas aut conjugatos divites nobis addictos tantum habere filias, eas noſtri blande dirigent ad ſtatum devotarium, vel ad religionem Monialium, dote aliqva illis relicta; cætera Societati paulatim acqvirentur; qvod ſi filios habeant, qvi Societati apti erunt, ad illam allicientur, alii ad alias Religiones, etiam certo minimo

compromisso inducendi erunt; sed si filius unicus sit, qvibuslibet modis ad Societatem pertrahendus erit, eiqve metus omnis parentum ex animo removendus, & vocatio Christi inculcanda est, ostendendo etiam DEo sacrificium gratissimum fore, si parentibus insciis & invitis aufugerit; deinde mittatur ad novitiatum remotum, præmonito prius Generali; qvod si filios aut filias habeant, prius filiæ in Monasterium vel statum devotarium dirigantur, deinde filii in Societatem cum successione bonorum pertrahantur.

IX. Superiores hujusmodi viduarum & conjugatorum Confessarios svaviter & fortiter moneant, ut sese utiliter pro Societate secundum hæc monita impendant; qvod si non fecerint, alii eorum loco substituantur, & ipsi removeantur, sic ut notitiam cum illa familia fovere non possint.

X. Viduæ vel aliæ perſonæ devotæ, qvæ videntur magno affectu ad perfectionem tendere, inducantur ad hoc; tanqvam ad efficaciſſimum medium perveniendi ad apicem perfectionis; ſi omnes ſuas poſſeſſiones Societati cedant, vivant annona Societatis, qvæ illis ſecundum exigentiam continuo adminiſtrabitur, ut ſine ulla cura ac ſolicitudine DEO liberius ſerviant.

XI. Ad perſvadendam efficacius paupertatem Societatis, Superiores a ditioribus perſonis Societati addictis mutuent pecunias ſub chirographo, qvarum ſolutio differatur; deinde tempore morbi, præſertim periculoſi, talis perſona conſtanter viſitetur, & omni ratione præveniatur, ut tandem moveatur ad reddendum chiriographum; ſic enim noſtri non agnoſcentur teſtamento, & interim nihilominus lucrabimur absqve invidia ſuccedentiam in bona morientis.

XII.

XII. Conveniet etiam ab aliqvibus personis pecuniam sub annuo reditu sumere, & eandem minimo altiori alibi constituere, ut reditus reditum compensęt; interim enim fieri poterit, ut amici, qvi pecunias sic mutuo dederunt, misericordia nostri moti, lucrum aut subinde etiam capitale sive testamento, sive donatione inter vivos Societati cedant, dum Collegia struuntur, aut templa ædificantur.

XIII. Utiliter etiam Societas sub nomine mercatorum divitum nobis addictorum negotiari poterit; sed respiciendum certum ac copiosum lucrum, etiam in Indiis, qvæ Societati non tantum animas, verum etiam opes multas hactenus, DEo favente, subministrarunt.

XIV. Procurent nostri habere in locis, ubi residenț, Medicum aliqvem Societati fidelem, quem apud ægros præ cæteris præcipue com-

commendent & extollant; ut vicissim ipse nostros præ cæteris Religiosis commendans, efficiat ut passim apud primarios ægrotos & præsertim moribundos vocemur.

XV. Confessarii sint assidui in visitandis ægris, potissimum qvi periclitantur, procurent Superiores, ut tempore illo, qvo Confessarius discedere cogitur ab ægroto, continuo alii succedant, & ægrotum in bonis propositis foveant; interim incutiendus erit prudenter horror inferni, &c. ad minimum purgatorium, demonstrandumqve, qvod sicut aqva extingvit ignem, sic eleemosynæ extingvunt peccatum; nusquam autem melius elemosynas impendi posse, qvam in hujus modi personarum alimentum ac subsidium, qvi ex vocatione sua profitentur charitatem erga salutem proximi. Sic enim illius participes faciendos, & satisfacturos ægrotos pro peccatis

tis propriis, qvia charitas operiit multitudinem peccatorum; describi potest qvoqve charitas, tamqvam vestis illa nuptialis, sine qva nemo admittitur ad mensam cœlestem. Denique ex scriptura & sanctis patribus alleganda erunt, qvæ, respectu habito ad capacitatem ægroti, efficacissima judicabuntur ad illum promovendum.

XVI. Mulieres conqverentes de vitiis aut molestiis suorum maritorum doceantur subtrahere secreto summam aliqvam pecuniæ, illamqve DEo offerre pro expiandis peccatis maritorum, & impetranda illis gratia.

## CAPUT X.

### *De disciplina hujus rigore privato in Societate.*

I.

Dimittendus erit qvilibet, vel cujusvis conditionis, vel ætatis, alio colore qvæsito tamqvam hostis Societatis, qvi devotas nostras, vel alios amicos alienaverit a templo nostro, vel freqventatione nostrorum, aut eleemosynas ad alia templa, vel Religiosos diverterit, vel alicui opulento, aut bene Societati congruo illam dissvaserit; tum etiam qvi circa tempus, qvo de bonis propriis disponendum erat, affectum erga consangvineos potius, qvam erga Societatem, ostenderit; hoc enim magnum immortificati animi signum est, & convenit professos esse plane mortificatos: item qvi eleemosynas a pœnitentibus & aliis amicis Societatis ablatas ad consangvineos suos pauperes diverterint. Ut autem de causa dimissionis suæ postea non conqverantur, non dimittantur

ſtatim, ſed prohibeantur primo ab audiendis confeſſionibus, mortificentur & vexentur exercitiis viliſſimorum officiorum, cogantur ad ea indies præſtanda, a qvibus averſionem maximam habere cognoſcuntur, removeantur ab altioribus ſtudiis ac honorificis muniis, urgeantur capitulis ac reprehenſionibus publicis, arceantur a recreationibus, & converſatione externorum, ſubtrahantur in veſtibus, aliisqve utenſilibus ea, qvæ omnino neceſſaria non ſunt, donec ad murmurationem & impatientiam inducantur, & tunc tamqvam nimis immortificati, & aliis malo exemplo perniciosi dimittantur; & ſi ratio dimiſſionis parentibus aut prælatis Eccleſiæ danda ſit, dicantur non habuiſſe ſpiritum Societatis.

II. Dimittendi inſuper erunt, qvi ſcrupulum fecerint in acqvirendis Societati bonis, dicanturque eſſe

esse nimium proprio judicio addicti. Qvod si apud Provinciales rationem facti sui reddere voluerint, non audiantur, sed urgeantur ad regulam, qvæ omnes obligat ad cæcam obedientiam præstandam.

III. Reflectendum erit ab initio & a teneris, qvinam maxime in affectu erga Societatem proficiant, qvi autem affectum erga alios Ordines, aut pauperes, aut parenres tenere deprehenduntur, cum sint futuri inutiles, modo supra dicto, paulatim ad dimissionem disponantur.

# CAPUT XI.

## *Qvaliter se nostri unanimiter præstabunt contra dimissos e Societate.*

### I.

QVoniam dimissi saltem aliqvorum secretorum conscii

sunt, plerumqve obsunt; ac proinde de eorum conatibus obviandum erit his modis. Anteqvam e Societate dimittantur inducantur, ut promittant scripto, & jurent, se nihil de Societate unqvam siniſtre scripturos vel dicturos. Interim superiores servent scripto malas inclinationes, defectus ac vitia illorum, qvæ ipsi aliqvando in manifestatione conscientiæ suæ pro more Societatis dederunt, qvibus si necesse fuerit, Societas apud Magnates & Prælatos ad illorum promotionem impediendam se juvare poterit.

II. Scribatur qvam primum per Collegia, qvinam dimissi sint, exaggerenturqve causæ dimissionis generales, immortificatio animi, inobedientia, parvus affectus erga exercitia spiritualia, proprium judicium, &c. deinde moneantur alii omnes, ne cum illis ulla ratione correspondeant; & si ab externis de

di-

dimissis mentio fiat, loqvantur omnes uniformiter & passim dicant, Societatem neminem dimittere sine gravibus causis, ejicere instar maris cadavera &c. insinuentur etiam caute hujusmodi causæ, propter qvas odio habemur, ut plausibilior sit dimissio.

III. In domesticis exhortationibus persvadeatur dimissos esse plane inqvietos, & continuo Societatem repetere, exagerenturque infortunia eorum, qvi post discessum a Societate male perierunt.

IV. Obviandum etiam erit accusationibus, qvas dimissi e Societate facere possint, per auctoritatem virorum gravium, qvi passim declarent Societatem neminem sine gravi causa dimittere, neqve præscindere sana membra; qvod confirmari potest per zelum qvem habet, & generatim ostendit Societas erga animas externorum, qvanto magis erga domesticos suos?

V. Deinde hujusmodi Magnates aut Prælati, apud qvos dimisſi aliqvid auctoritatis aut fidei ſibi conciliare cœperint, omni genere beneficiorum a Societate præveniendi ſunt, ac obſtringendi; explicandum illis qvomodo bonum commune unius religionis tam celebris, qvam vtilis Eccleſiæ præponderare debeat bono privato qvaliſcumqve perſonæ; qvod ſi affectus erga dimiſſos perſeveret, juvabit cauſas dimisſionis exponere, & exaggerare etiam qvæ non adeo certa ſunt, modo per probabilem conſeqventiam deducantur.

VI. Omnimodo præcavendum erit, ne præſertim ii, qvi ſua ſponte Societatem deſeruerunt, promoveantur ad aliqva officia aut dignitates Eccleſiæ, niſi ſe ſuaqve omnia Societati ſubmiſerint & addixerint, ita ut omnibus conſtare poſſit, qvod a Societate omnino dependere velint.

VII.

VII. Procuretur tempori, ut ab exercitio functionum celebrium in Ecclesia, ut sunt conciones, confessiones, evulgationes librorum &c. qvantum fieri potest sint remoti, ne affectum & plausum vulgi sibi concilient; eo fine diligentissime in vitam ac mores illorum erit inqvirendum, nec non in sodalitia, occupationes &c. & intentiones dimissi; qvo circa efficiendum erit, ut cum aliqvo e familia illa, qvam dimissi incolunt, nostri peculiarem correspondentiam habeant; qvam primum autem qvidpiam minus laudabile aut censura dignum deprehensum fuerit, per personas inferioris Ordinis nobis addictas in vulgus dispergatur, deinde Magnates vel Prælatos, qvi dimissos fovent, futuræ infamiæ indiciis teneantur; qvod si nihil committant reprehensione dignum, & laudabiles se gerant, extenuentur argutis propositio-

ctionibus, ambiguisqve verbis eorum virtutes, operaqve qvæ commendantur donec æstimatio & fides, qvæ antea illis adhibebatur, imminuatur. Societatis enim plane interest, dimissos & præsertim eos, qvi eam sua sponte deseruerunt, prorsus supprimi.

VIII. Infortunia & eventus siniſtri, qvi illis accidunt, qvam primum divulgandi sunt, imploratis tamen precibus personarum piarum, ut non credantur nostri ex passione procedere; domi vero omnibus modis exaggerentur, ut alii contineantur.

# CAPUT XVII.

## *Qvinam conservari ac foveri in Societate debeant.*

I.

PRimum locum tenere debent strenui operarii, qvi scilicet non

non minus temporale, qvam ſpirituale Societatis bonum promovent, qvales ſunt plerumque Confeſſarii Principum ac Magnatum, viduarum & devotarum opulentarum, Concionatores & Profeſſores, & qvicumqve horum ſecretorum ſunt conſcii.

II. Corruentibus viribus & defecti ætate, ſecundum qvod talenta ſua pro bono Societatis temporali impenderunt, adeo ut habeatur decens * meſſis præteritæ; præterqvam qvod adhuc apta inſtrumenta ſint ad deferendos ſuperioribus defectus ordinarios, qvos in reliqvis domeſticis, cum perpetuo domi ſint, animadvertunt.

III. Dimittendi illi numqvam erunt, qvantum fieri poterit, ne Societas male audiat.

IV. Præterea fovendi qvicumqve ingenio, nobilitate, aut divitiis excellunt, præſertim ſi amicos

& consangvineos Societati addictos habeant & potentes, & revera ipsi sincero affectu erga Societatem sint, secundum explicationem supra datam; mittendi illi Romam, vel ad Universitates celebriores ut studeant; si autem in Provincia studuerint, peculiari affectu & favore Professorum sunt promovendi, qvoad usqve cessionem bonorum suorum fecerint Societati, nihil illis denegetur, sed postqvam illam fecerunt, mortificentur, ut cæteri, semper tamen respectu aliqvo habito ad præterita.

V. Erit etiam ratio peculiaris eorum apud Superiores, qvi selectos aliqvos juvenes ad Societatem allexerint, qvandoqvidem affectum suum erga Societatem non parum testati sunt; sed qvam diu illi nondum professi sunt, videndum ne nimium illis indulgeatur, ne forte, fortuna, qvos ad Societatem adduxerunt, reducant.

CA-

# CAPUT XIII.

## De delectu juvenum in Societatem admittendorum, & modo retinendi.

I.

Summa prudentia contendendum est, ut deligantur juvenes ingenio bono, forma non contemnenda, genere nobiles, aut, ad minimum horum aliqvo excellentes.

II. Ut facilius ad institutum nostrorum pertrahantur, peculiari affectu qvamdiu studeant a præfectis Scholarum & Magistris sunt præveniendi, extra tempora Scholæ, ab iisdem sunt instruendi, qvam gratum DEo sit, si qvis illi se, & sua omnia, præsertim in Societate filii sui, consecret.

III. Ducantur occasione data, per Collegium & hortum, immo aliqvando etiam ad villas, & cum

noſtris verſentur tempore recreationum, & paulatim familiares fiant, cavendo tamen ne familiaritas pariat contemptum.

IV. Non permittatur caſtigari, & in ordinem redigi a Præceptoribus cum aliis Diſcipulis.

V. Munuſculis ac privilegiis variis ætati illorum conformibus devinciendi ſunt, & maxime colloqviis ſpiritualibus ſunt animandi.

VI. Inculcetur illis hæc fieri diſpoſitione divina, tamqvam ad Societatem electis præ tot aliis idem Gymnaſium freqventantibus.

VII. Aliis occaſionibus, præſertim exhortationibus, terrendi ſunt minis damnationis æternæ, niſi divinæ vocationi obtemperent.

VIII. Si Societatem ingredi conſtanter petant, differatur illorum admiſſio, qvamdiu conſtantes ma-

manent; qvod si mutabiles appareant, qvam primum & omnibus modis foveantur.

IX. Admoneantur efficaciter, ne ulli familiari suo, & ne qvidem parentibus vocationem suam aperiant, priusqvam admissi sint; qvod si deinde aliqva illos tentatio resiliendi superveniat, in integro tum ipse, tum Societas erit, & si illa superata fuerit, semper erit occasio illos rememoratione ejusdem postea animandi, si tempore novitiatus, aut post emissa vota simplicia obveniat.

X. Qvia vero maxima difficultas est in alliciendis Magnatum, Nobilium, Senatorum filiis, qvamdiu apud parentes sunt, qvi illos ad succedendum illorum officiis educant, persvadendum illis per-

amicos potius, qvam per perſonas Societatis, ut illos in aliis Provinciis, & remotis Univerſitatibus collocent, in qvibus noſtri docent, præmiſſis inſtructionibus ad Profeſſores de qvalitate & conditionibus illorum, ut affectum illorum Societati facilius, & certius concilient.

XI. Qvando ad ætatem aliqvo modo maturam pervenerint, inducendi erunt ad facienda aliqva exercitia ſpiritualia, qvæ in Germanis & Polonis ſæpe bonum ſucceſſum habuerunt.

XIII. Perturbationibus & afflictionibus illorum occurrendum erit, pro qvalitate & conditione uniuscujusqve, adhibitis demonſtrationibus, & exhortationibus privatis de malo ſucceſſu divitiarum, ut bono vocationis non contemnendo, ſub pæna indictionis pænæ infernalis.

XIII. Apud parentes ut facilius

us filiorum ſuorum deſiderio in Societatem ingrediendi condeſcendant, oſtendatur excellentia inſtituti Societatis, præ aliis Religionibus, ſanctitatis & doctrinæ Patrum noſtrorum, æſtimatio integra apud omnes, honor & applauſus univerſalis, qvi Societati a ſummis & a minimis defertur; & recenſeatur numerus Principum & Magnatum, qvi magno animi ſui ſolatio in hac Societate JEſu vixerunt, & mortui ſunt, & etiamnum vivunt: oſtendatur quam gratum DEo ſit, qvod juvenes ſeſe illi mancipent, præſertim in Societate filii ſui, & adoleſcentia ſua; qvod ſi de teneritudine & minus perfecta ætate diſceptetur, declaretur facilitas inſtituti noſtri, qvod præter trium votorum obſervationem nihil aliud, qvod moleſtum ſit, continet, & qvod valde ſpectandum eſt, nullam regulam

lam obligare, neqvidem sub pec-
cato veniali.

# CAPUT XIV.

## De casibus reservatis, & causa dimittendi e Societate.

I.

PRæter casus expressos in Constitutionibus, a qvibus solus superior aut Confessarius ordinarius cum ejus licentia absolvere poterit, sunt Sodomia, mollities, fornicatio, adulterium, stuprum, tactus impudicus maris aut fœminæ, præterea si qvis qvacumqve zeli causa aut occasione qvomodolibet qvidqvam grave moliatur contra Societatem, ejusqve honorem aut utilitatem, qvæ etiam omnes sunt justæ causæ dimissionis.

II. Qvod si qvis aliqvid hujusmodi confiteatur sacramentaliter non

non prius absolvatur, qvam promiserit se extra confessionem Superiori manifestaturum per se vel per Confessarium; tum Superior concludet pro bono communi Societatis, qvod melius videbitur, & si certa spes sit criminis occultandi, conformi pœnitentia plectendus erit, sin vero, qvam primum dimittendus; caverit sibi interim Confessarius dicere pœnitenti illum periclitari de dimissione.

III. Si qvis ex nostris Confessariis audiverit ab aliqva persona externa, qvod cum aliqvo e Societate rem turpem commiserit, non eam prius absolvat, qvam extra Confessionem aperuerit nomen illius, cum qvo peccavit; qvod si dixerit, adhuc non absolvatur, nisi jurejurando se obstrinxerit se nunqvam id ulli mortalium revelaturum sine consensu Societatis.

IV.

IV. Si qvi ex noſtris carnaliter peccaverint, ſi prior manifeſtaverit, in Societate retineatur, alter dimittatur; ſed deinde is qvi detinetur, ita mortificetur, & undiqvaqve affligatur, ut præ tædio & impatientia occaſionem det dimiſſioni, qvæ ſtatim arripiatur.

V. Poterit etiam Societas, cum ſit corpus nobile & præſtans in Eccleſia, a ſe præſcindere hujusmodi perſonas, qvæ ad inſtituti noſtri executionem minus idoneæ videbuntur, qvamvis initio ſatisfecerint, & facile invenietur occaſio; ſi nempe continuo vexentur, & omnia fiant contra illorum inclinationem, ſubjiciantur Superioribus tetricis, arceantur a ſtudiis ac functionibus honorificentioribus &c. donec obmurmurent.

VI. Retinendi etiam nullatenus ſunt, qvi aut Superioribus palam inſurgunt, aut palam aut clam

apud

apud Socios, ac potiſſimum externos conqveruntur, item qvi apud domeſticos vel externos modum agendi Societatis qvoad acqviſitionem aut adminiſtrationem bonorum temporalium condemnant, vel alias rationes agendi, verbi gratia, conculcandi ac ſupprimendi male affectos erga Societatem, vel dimiſſos, &c. qvin etiam qvi Venetos, Francos, aut alios a quibus Societas pulſa, & gravia damna paſſa eſt, in colloqviis ferunt aut defendunt.

VII. Ante dimiſſionem acerrime agitandi ſunt ii, qvi dimittentur, amovendi a conſvetis officiis, & modo huic, modo illi applicandi, interim qvantumcumque bene præſtiterint, reprehendendi, eoque titulo alteri applicandi; pro leviori cúlpa, qvam forte commiſerint graves pœnæ aſſignentur, confundantur publice usqve ad impatientiam, tan-

tandemqve tamqvam aliis perniciosi dimittantur; ad hoc autem locus, de qvo minime opinantur, eligatur.

## CAPUT XV.

VIII. Si de aliqvo nostrorum spes certa sit de obtinendo Episcopatu, aut alia dignitate Ecclesiastica, præter consveta Societatis vota, cogatur alterum omittere, qvod semper bene de instituto Societatis sensurus sit, ac dicturus, neqve alio Confessario, qvam qvi de Societate sit, utetur; qvinimo se in nullis rebus alicujus momenti qvidqvam dispositurum, nisi audito judicio Societatis; qvod qvia Cardinalis Toletus non observavit, Societas a Sancta Sede impetravit, ut posthac nullus Maranus, perfidiæ Judaicæ aut Mahometicæ hæres admittatur, qvi tale votum præstare noluerit, & tamqvam acerrimus So-

Societatis hostis, qvantumcumqve celebris esset, dimittatur.

# CAPUT XV.

## *Qvomodo agendum cum monialibus & devotariis.*

### I.

CAveant valde Confessarii & Concionatores offendere Moniales, aut illis dare occasionem tentationis contra vocationem, sed contra affectu potissimum superiorum sibi conciliato, procurent Confessiones saltem extraordinarias excipere, & conciones apud eas facere, si gratitudinem illarum viciſſim experiantur; multũ enim juvare Societatem possunt nobiles præsertim ac divites Abbatissæ, tum per se, tum per parentes & amicos suos, adeo ut mediante notitia primariorum mo-

monaſteriorum, paulatim in notitiam & amicitiam totius fere civitatis Societas venire poſſit.

II. Vetandum tamen ex altera parte devotabus noſtris, ne Monaſteria fœminarum freqventent, ne vivendi ratio illa ipſi magis arrideat, & ſic Societas exſpectatione omnium bonorum, qvæ poſſident, fruſtretur; inducantur vero ad præſtandum votum caſtitatis & obedientiæ in manibus Confeſſarii ſui, oſtendaturqve, illam vivendi rationem eſſe conformem primitivæ Eccleſiæ moribus, utpote lucentem in domo, & non ſub modio ſine proximi ædificatione ac fructu animarum; præterqvam qvod exemplo viduarum illarum Evangelicarum Chriſto in Sociis ſuis bene faciant de ſubſtantia ſua: deniqve omnia, qvæ in præjudicium clauſtralis vitæ ſunt, exponantur, eiqve applicent, hujusmodi inſtructiones

nes illis sub secreti sigillo communicent ne forte ad aures Religiosorum perveniant.

# CAPUT XVI.

## *De contemptu divitiarum palam pro se ferendo.*

### I.

NE seculares nobis adscribant nimium affectum erga divitias, juvabit nonnumqvam recusare eleemosynas minoris momenti, qvæ pro officiis a Societate præstitis offeruntur; qvamqvam ab iis, qvi omnino nobis sunt addicti, etiam minimas qvascunqve acceptare conveniat, ne avaritiæ arguamur, si tantum dona insigniora admittamus.

II. Negandæ erunt sepulturæ personis vilibus in templis nostris, qvam-

qvamvis valde addicti fuerint Societati, ne videamur pluralitate mortuorum divitias venari, & conſtet de beneficiis, qvæ a mortuo recipimus.

III. Cum viduis aliisqve perſonis, qvæ ſocietati pleraqve ſua dederunt, agendum erit valde reſolute & acrius, cæteris paribus, qvam cum aliis, ne videamur propter conſiderationem bonorum temporalium illis favere plus qvam cæteris; immo idem obſervari convenit reſpectu illorum qvi in Societate ſunt, ſed poſtqvam bonorum ſuorem ceſſionem & reſignationem in favorem Societatis fecerint; & ſi neceſſe ſit a Societate dimittantur, ſed omni cum diſcretione, ut ſaltem partem eorum, qvæ Societati dederant, ei relinqvant, aut morientes Teſtamento legent.

# CAPUT XVII.

## De mediis promovendi Societatem.

### I.

IN primis in hoc incumbant omnes, ut etiam in rebus parvi momenti unum semper sentiant, & saltem exterius dicant, sic enim qvantumcumqve res mundi hujus turbidæ fuerint, Societas semper necessario augebitur & confirmabitur.

II. Sic omnes lucere nitantur doctrina & exemplis, ut reliqvi Religiosi, præsertim ii, qvi de Clero sunt, Pastores, &c. superentur, tandemqve vulgus omnia a nostris tantum præstari optet; qvin imo hoc palam dicatur, non reqviri in pastoribus doctrinam tantam, modo suo munere bene fungantur, consilio enim Societatem juvare posse, qvæ id circo

co ſtudia ſummopere commendata habet.

III. Fovendi Reges ac Principes hac doctrina, qvod fides Catholica in præſenti ſtatu perſiſtere neqveat ſine Politismo; ſed ad hoc magna opus diſcretione; hac ratione noſtri grati erunt Magnatibus, & ad intimiora conſilia adhibebuntur.

IV. Foveri poterunt novis, lectiſſimis, & certiſſimis undiqvaqve tranſcriptis.

V. Neqve parum conferet ſi Magnatum & Principum diſſentiones caute ac ſecreto nutriantur, etiam cum mutua virium infractione; qvod ſi animadverteretur veri ſimiliter conciliandos, Societas qvam primum illos pacificare contendet, ne aliunde præveniatur.

VI. Ingeneranda omnibus modis, præſertim vulgo & Magnatibus, opinio de Societatis erectione

per

per singularem Providentiam divinam, juxta Prophetias Joachimi Abbatis, ad hoc ut Ecclesia depressa ab hæreticis elevetur.

VII. Tum Magnatum & Episcoporum gratia obtenta, occupandi Pastoratus & Canonicatus, ad reformationem Cleri exactiorem, qvi olim sub certa regula cum Episcopis suis vivebant, & ad perfectionem tendebant; ac tandem ad Abbatias, & Prælaturas adspirandum, qvas attenta ignavia ac stupiditate Monachorum, ubi vacaverint, non erit difficile assequi. Etenim ex re Ecclesiæ omnino foret, si omnes Episcopatus a Societate tenerentur, immo sedes apostolica possideretur; præsertim si Pontifex bonorum omnium Princeps temporalis fieret; qvare omni ratione temporalia Societatis, prudenter tamen & secreto paulatim extendenda, neqve dubium, qvin tum aurea sæcula, &

pax continua ac universalis, & consequenter benedictio divina Ecclesiam comitaretur.

VIII. Quod si spes non affulgeat ad hæc perveniendi, cum equidem necesse sit, ut veniant scandala, pro tempore invertendus erit status politicus, & incitandi Principes nostris familiariter utentes ad bella mutua & importuna; ut sic ubiqve Societas imploretur ac impendatur reconciliationi publicæ, ut communis boni auctrix, & primariis beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis compensetur.

IX. Deniqve hoc saltem conabitur Societas efficere, acqvisita Principum gratia & auctoritate, ut ab iis a qvibus non amatur, saltem timeatur.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Gratiosus, Benedictus

Machiavellismus jesuiticus

Amstelodamum 1717
Jes. 408
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10568211-3